

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung für Korrekturzwecke jede zweite Zeile frei lassen!

Ovid klagt am Verbannungsort und sendet ein weiteres Buch seiner Exildichtung nach Rom.

Hunc quoque de Getico, nostri studiose, libellum

litore praemissis quattuor adde meis.

Hic quoque talis erit, qualis fortuna poetae:

invenies toto carmine dulce nihil.

5 Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen,

materiae scripto conveniente suae.

Integer et laetus laeta et iuvenalia lusi:

illa tamen nunc me composuisse piget.

Ut cecidi, perago subiti praeconia¹ casus,

10 sumque argumenti conditor ipse mei;

utque iacens ripa deflere Caystrius² ales

dicitur ore suam deficiente necem,

sic ego, Sarmaticas longe proiectus in oras,

efficio tacitum ne mihi funus eat.

15 Delicias siquis lascivaque carmina quaerit,

praemoneo, non est scripta quod ista legat.

Aptior huic Gallus blandique Propertius oris,

aptior, ingenium come, Tibullus erit.

Atque utinam numero non nos essemus in isto!

20 Ei mihi! Cur umquam Musa iocata mea est?

Sed dedimus poenas, Scythicique in finibus Histri³

ille pharetrati lusor Amoris abest.

Quod superest, numeros pudibunda ad carmina flexi,

et memores iussi nominis esse sui.

25 Si tamen e vobis aliquis, tam multa, requiret,

unde dolenda canam, multa dolenda tuli.

Non haec ingenio, non haec componimus arte:

Musa mea est propriis ingeniosa malis.

At quota fortunae pars est in carmine nostrae?

30 Felix, qui patitur quae numerare potest!

Quot frutices silvae, quot flavas Thybris harenas,

mollia quot Martis gramina campus habet,

tot mala pertulimus, quorum medicina quiesque

nulla nisi in studio est Pieridumque mora.

35 „Quis tibi, Naso, modus lacrimosi carminis?“ inquis.

Idem, fortunae qui modus huius erit.

1 praeconium: Ausrufen, Bekanntmachung **2** Caystrius, a, um: *Nach dem jonischen Fluss Caystrus, der berühmt für seine Schwäne war.* **3** Hister: Donau